



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 6. Quænam Artes pro syllogismis ex complexis. Et qualiter
construi possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

vera pro casu existentie consensus ab auxilio A minor etiam est vera pro casu existentie consensus ab auxilio B; & tamen conclusio falsa est. Pariterque in similibus. Itaque, sicut ex eo quod A sit simul cum B in vno instanti, & B sit simul cum C in alio instanti, non sequitur, quod A, & C sint simul in vno instanti. Ita ex eo quod A sit simul cum B sub vna hypothese, & B sit simul cum C sub alia, non sequitur, quod A sit simul cum C sub vlla. Vide ad rem dicta loco citato. Et hæc satis de syllogismis hypotheticis.

QVÆSTIO VI.

Quenam Artes pro syllogismis ex complexis. Et qualiter construi possint.

- 212 **A**ppello syllogismos ex complexis eos, qui ex aliqua saltem, aut ex aliquibus propositionibus complexis componuntur. Supponoque ex dictis *disputatione decima nona, questione quarta*, omnes propositiones complexas ad copulativas, & disiunctivas reduci. De hisque proinde duntaxat esse sermonem in præsentia. Quanquam autem propositiones complexæ propriè dicantur, quæ ex duabus, aut pluribus simplicibus componuntur, ut ibi statuimus. In præsentiarum verò quæcunque propositiones plura cum aliqua distinctione enuntiant, eo quod terminos aliquos complexos habent, sub nomen complexarum cadere possunt, etiam si ex pluribus simplicibus formaliter compositæ non sint. Cuiusmodi sunt istæ: *Omnis homo currit, & movetur: Petrus, & Paulus, & Franciscus loquuntur: Mobile illud homo est, vel equus, vel leo: & similes.* His positus sit.

Propositio 1.

- 213 Quoties aliqua ex propositionibus simplicibus, ex quibus coalescit complexa, tanquam syncategorema alterius accipitur, syllogismi ex complexis per easdem regulas syllogismorum ex simplicibus componendi veniunt.

Est dicere. Syllogismi ex simplicibus eodem modo componendi veniunt, iuxta Artes in præcedentibus constitutas, siue eorum propositionibus per modum syncategorematum addantur aliæ simplices, quibus illæ in complexas transeant, siue non addantur. Exempli gratia, sicut hic syllogismus ex simplicibus in *Darj* legitime concludit: *Omnis homo loquitur: aliquod risibile est homo: ergo aliquod risibile loquitur*; ita & hic ex complexis coalescentibus ex simplicibus modo dicto. *Omnis homo loquitur, & auditur: aliquod risibile est homo: ergo aliquod risibile loquitur, & auditur.* Similiter hic in *Cesare*: *Nullus lapis est animal, vel lapis vivit: sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis, vel lapis vivit.* Et hic in *Disamis*: *Aliquis homo, qui habet aures audit: omnis homo, qui habet aures est animal: ergo aliquod animal audit.* Et in cæteris pariter. Ratio autem propositionis conspicua est. Quia syncategoremata terminorum propositionum simplicium nullatenus immutant earum naturam in ordine ad syllogismos ex eis componendos, dummodo, ubicunque ponuntur termi-

ni categorematici, & ipsorum syncategoremata constanter ponantur, ut est notissimum.

Propositio 2.

Quia complexa copulativa vniuersali simplici, & complexa disiunctiva particulari simplici æquivalent, iuxta doctrinam statutam *disputatione decima nona, questione quarta*, perinde de illis, ac de his, suâ seruata proportionem, philosophandum venit in ordine ad componendos syllogismos concludentes legitime secundum regulas in præcedentibus Artibus stabilitas.

Sic syllogismus hic syllogismo factio in *Darj* responder, atque adeo legitimus est: *Hic homo est sapiens, & hic homo est diues: aliquod risibile est hic, vel hic homo: ergo aliquod risibile est hic sapiens, vel hic diues.* Similiter hic legitimus est respondens factio in *Cesare*: *Neque equus est homo, neque leo est homo: Sed omne risibile est homo: ergo neque hoc risibile est equus, aut leo, neque hoc, neque hoc &c.* Pariterque censendum de cæteris. Poterunt autem sub formâ quasi reflexâ vniuersaliore qualibet complexæ profecti ad formandos syllogismos, iuxta regulas Artium præcedentium hoc pacto, signatis ipsis complexis: *Omne extremum enuntiatum per propositionem primam est verum: Sed aliquod extremum secunda est ex enuntiatum per primam ergo aliquod extremum secunda est verum.* Ecce syllogismus in *Darj*. Pariterque procedendum in cæteris consentaneè ad illarum naturas. Ratio autem propositionis in promptu est: quia syllogismi æquivalentes quoad sensum eodem pacto sunt, aut non sunt legitimi, ut constar. Eiusmodi autem syllogismi ex complexis legitimis ex simplicibus æquivalentes sunt, ut supponimus.

Propositio 3.

Ex propositionibus copulativis Ars specialis syllogismorum ex complexis ipsarum naturæ subnixæ construi non potest, sicut ex disiunctiuis.

Quia nullum datur vniuersale principium, in quo ea fundari possit. Solum namque est vniuersaliter verum ex veritate cuiusvis copulatiue inferri legitime veritatem cuiusvis ex simplicibus, ex quibus constar, rum determinatè, tum vagè, seu disiunctiue sumptis. In hoc autem principio non syllogismi, sed enthymemata ex complexis fundanda veniunt. Qualia sunt hæc: *Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo Paulus audit: Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo, vel Petrus loquitur, vel Paulus audit, & similia.* Quod si ex complexis habentes præpositam negationem, ut: *Non Petrus loquitur, & Paulus audit, syllogismi possunt componi, id inde nascitur: quia illæ æquivalent disiunctiuis, per quas sunt exponendæ. Agamus ergo iam de syllogismis ex disiunctiuis, deque speciali eorum Arte.*

Propositio 4.

Veritas disiunctiva, & veritas determinata contradictoriè opposita vni ex extremis disiuncti sumptæ indiuisum cum veritate determinatè alterius extremi connexæ sunt.

Si enim est verum disiunctiue: *Petrus existit, vel Paulus existit*, & simul est verum determinatè: *Paulus non existit*, non potest non esse verum etiam determinatè: *Petrus existit*; alioquin huius contradictoria: *Petrus non existit* esset vera, & consequenter hæc copulatiua. *Paulus non existit, & Petrus non existit*, contradictoria disiunctiue, quæ ponebatur vera, darenturque duæ contradictoriae simul veræ. Quod est absurdum.

217 Est autem sermo in propositione de disiunctiua rigorosa, quæ in sensu disiunctiuo usurpatur, veritatemque absolutam vnius ex suis extremis exposcit ad sui verificationem. Non ita usurpata in sensu disiuncto, quæ nullius extremi postulat absolutam veritatem, cum sit duabus conditionatis prorsus æquivalens, vt dicebamus *quæst. 5. num. 209.* atque ita ex positione eius, & contradictorijs vnius ex eiusdem extremis non infertur positio alterius, vt cernitur in hoc syllogismo idcirco illegitimo. *Dexter, vel sinister oculus est requisitus ad videndum: sed non est requisitus dexter: ergo est requisitus sinister.* In quo maior in sensu disiuncto, & minor in sensu determinato sunt veræ, & nihilominus conclusio in sensu pariter determinato est falsa.

218 Igitur in principio proposito, atque ita exposito Ars specialis syllogismorum ex disiunctiuis, quos etiam disiunctiuos appellant, fundatur. In quâ ex vnâ propositione disiunctiua, & aliâ simplici enuntiante contradictorium vnius ex partibus disiuncti infertur tertia enuntians alteram partem. Est enim modo sermo duntaxat de disiunctiua, deque disiuncto obiecto eius habente duas tantum partes; de habente namque plures dicemus postea. Et in hac quidem Arte maioris distinctionis gratiâ duæ figuræ distinguui possunt. Prima, in quâ ex disiunctiua, & simplici enuntiante contradictorium prioris partis disiuncti infertur enuntians partem posteriorem. Secunda, in quâ vice versâ, ex disiunctiua, & simplici enuntiante contradictorium partis posterioris disiuncti infertur enuntians partem anteriorem. Designabimus autem compendij gratiâ, vt fecimus in simili questione quintâ, propositione tertia, disiunctiuam de vtroque extremo affirmato per D. Disiunctiuam autem de vtroque extremo negato per. nDn. de affirmato vero primo, & negato secundo per. Dn. Et de negato primo, affirmatoque secundo per. nD. simplex verò enuntians, vel contradictorium prioris partis disiuncti, vel ipsam partem, si fuerit affirmatiua, per rectam P. significabitur; si verò fuerit negatiua, per inuersam d. & simplex enuntians vel contradictorium partis posterioris disiuncti, vel ipsam partem, si affirmatiua, per rectam S. si negatiua, per inuersam 2. Quo materia huius Artis octo istæ propositiones erunt. D. nDn. Dn. nD. P. d. S. 2.

219 Modi autem possibiles in primâ figurâ huius Artis omnino sunt 16. quia singulæ quatuor disiunctiuarum cum illis duabus simplicibus P. d. componunt 8. binarios præmissarum. Quorum singuli rursus cum alijs duabus S. 2. componunt. 16. syllogismos. Totidemque sunt possibiles in secundâ figurâ ob eandem rationem, in eo solum differentes à prioribus, quod pro præmissis habent illas S. 2. & pro conclusionibus illas P. d. Priores autem è conuerso. Atque ita omnes modi possibiles in hac Arte sunt 32.

Pharus Scientiarum, Tom. I. I.

Potè modi viles ad concludendum necessariò verum ex vero quatuor omnino sunt in primâ figurâ, vt ipsum principium, in quo Ars hæc fundatur, satis euidenter præ se fert. Nempe DdS. id est: *Vel Petrus loquitur, vel Paulus loquitur: sed Petrus non loquitur: ergo Paulus loquitur.* nDn P 2. id est: *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus non loquitur: sed Petrus loquitur: ergo Paulus non loquitur.* D nd 2. id est: *Vel Petrus loquitur, vel Paulus non loquitur: at Petrus non loquitur: ergo Paulus non loquitur.* nDP S. id est: *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus loquitur: at Petrus loquitur: ergo Paulus loquitur.* In secundâ autem figurâ totidem omnino modi viles sunt, vt ipsum principium æquè euidenter etiam præ se fert. Nimirum D 2 P hoc est: *Vel Petrus loquitur, vel Paulus loquitur: at Paulus non loquitur: ergo Petrus loquitur.* nDn S d hoc est: *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus non loquitur: at Paulus loquitur: ergo Petrus non loquitur.* D n S P. hoc est: *Vel Petrus loquitur, vel Paulus non loquitur: at Paulus loquitur: ergo Petrus loquitur.* Et nD 2 d. id est: *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus loquitur: at Paulus non loquitur: ergo Petrus non loquitur.* Quos omnes exhibet tabula sequens.

Tabula syllogismorum disiunctiuorum concludentium necessariò verum ex vero.

In 1. figurâ.

D	d	S
nDn	P	2
Dn	d	2
nD	P	S

In 2. figurâ.

D	2	P
nDn	S	d
Dn	S	P
nD	2	d

In hac itidem Arte aliæ insuper septem tabulæ describi possunt, vt ultra primam vtilium ad concludendum necessariò verum ex vero descriptæ sunt *quæst. 5. proposit. 3.* Nempe tabula syllogismorum concludentium necessariò verum ex falso. Tabula concludentium necessariò falsum ex vero. Tabula concludentium necessariò falsum ex falso. Tabula concludentium necessariò verum ex maiore falsâ, & minore verâ. Tabula concludentium necessariò verum ex maiore verâ, & minore falsâ. Tabula concludentium necessariò falsum ex maiore falsâ, & minore verâ. Et tabula concludentium necessariò falsum ex maiore verâ, & minore falsâ. Quarum vnaquæque octo etiam, sicut descripta syllogismos habebit; atque ita omnes octo tabularum erunt 64. cum tamen possibiles in hac Arte tantum

T 3 sunt

sint; 2. ut diximus. Ex quo patet, vnumquemque eorum semel in vna, & semel in altera tabula venite ponendum, atque adeo duarum tabularum, in quibus ponitur, proprietates participare eodem pacto ac de hypotheticis loco citato dictum est.

223 Hoc tamen habent peculiare in hac Arte syllogismi mutantis maiorem syllogismorum vtilium tabula primæ in eius contradictoriam, quales sunt ponendi in tabulis 2. 4. 5. & 7. quod veluti mutant speciem. Transeunt enim ex disiunctiuis in copulatiuis, cum contradictoria maioris disiunctiue vtilium copulatiua debeat esse, iuxta dicta disp. 19. quest. 4.

224 Hæc dicta sunt de modis syllogisticis, veluti simplicioribus huius Artis, habentibus scilicet pro maiore propositionem disiunctiuam compositam ex duabus tantum simplicibus. Quia tamen propositio disiunctiua ex pluribus, quam duabus simplicibus potest constare. Idque absque vllō limite, & termino; nempe ex tribus, aut ex quatuor, aut ex quinque, aut ex sex; & ita ascendendo sine fine. Restat modò, ut dicamus de modis syllogisticis veluti complexioribus habentibus pro maiore disiunctiuam ex pluribus, quam duabus simplicibus constantem. Qui quidem, si penes diuersos numeros propositionum simplicium, diuersasque earum mixtiones affirmationis, & negationis, ex quibus eorum maior constare potest, discriminandi sint, infiniti erunt: quia, quibusvis eorum datis, alij plures diuersi dari poterunt à diuersitate maioris disiunctiue nullum habente terminum iuxta dicta. Pro omnibus tamen vnica vniuersalis regula assignanda est: quæ omnes sub principio huius Artis, atque adeo sub Arte ipsa coercerantur. Ea autem est huiusmodi.

225 Data quavis omnino propositione disiunctiua, ex quibusvis simplicibus coalescens, si ea sumatur pro maiore, pro minore autem contradictoria cuiuslibet omnino partis eius, residua pars, prout iacet, legitime pro conclusione inferetur. Id enim manifestè præ se fert principium statutum, in quo hæc Ars nititur. Sic, si disiunctiua pro maiore assumenda ex quatuor simplicibus coalescit, trifariam imprimis esse illà, iuxta datam regulam argui legitime potest in hunc modum. Primò. Petrus loquitur, vel Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus: sed non loquitur Petrus: ergo loquitur Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus. Secundò. Petrus loquitur, vel Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus: sed non loquitur Petrus, neque Paulus: ergo loquitur Ioannes, vel Franciscus. Tertiò. Petrus loquitur &c. sed non loquitur Petrus, neque Paulus, neque Ioannes: ergo loquitur Franciscus. (copulatiua enim, quæ pro minore sumitur in secundo, & tertio casu contradictoria est disiunctiue partialis, cui correspondet, ut constat ex doctrinâ statuta disputatione decima nona, questione quarta.) Deinde argui potest interpolatis simplicibus maioris, iuxta omnem combinationem possibilem. Primò sic: Petrus loquitur, vel Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus: sed non loquitur Petrus, neque Franciscus: ergo loquitur Paulus, vel Ioannes. Secundò: sed non loquitur Petrus, neque Ioannes: ergo loquitur Paulus, vel Franciscus. Tertiò: sed non loquitur Paulus, neque Ioannes: ergo loquitur Petrus, vel Franciscus. Quartò: sed non loquitur Paulus, neque Franciscus: ergo loquitur Petrus, vel Ioannes. Quintò: sed non loquitur Petrus, neque Ioannes, neque Franciscus:

ergo loquitur Paulus &c. multæ enim adhuc restabant combinationes. Similiterque de similibus philosophandum est.

Ex quibus patet, quàm multi syllogismi vtiliter ex quavis disiunctiua coalescente ex pluribus, quàm duabus simplicibus componi possint, qui eò plures erunt, quò plures fuerint simplices, ex quibus ea constat. Multoquæ plures erunt inuiles, iuxta superius dicta. Et hæc de syllogismis ex complexis satis sint dicta.

QVÆSTIO VII.

Quarum Artes pro syllogismis modalibus. Et qualiter construuntur.

Suppono primò syllogismos modales dici in præfati quicumque aut vna, aut duabus, aut omnibus tribus propositionibus modalibus constant: modalibus, inquam, de modis dialecticis nominaliter sumptis, de quibus latè tractatum est supra disputatione decima nona, questione prima & quinta.

Suppono secundò, Arist. lib. 1. Prior. à cap. 8. usque ad 21. de syllogismis modalibus prolixè tractasse discurrendo per singulas figuras, perque singulos earum modos tentandoque sigillatim, in quibus eorum qui syllogismi modales aut de Necessitate, aut de Contingentia, aut mixti ex his duobus concludant legitime, non facili mentione syllogismorum de Possibile, aut de Impossibile. In quo Aristotelem ceteri logici sunt imitati. Nollustamen, quod sciam, Artem vniuersalem pro huiusmodi syllogismis construxit, aut regulas vniuersales tradidit. Imò neque speciales ab Aristotele traditas modo dicto ex propriis principijs demonstrant. Quem ego defectum, ut suppleam.

Suppono tertio ex demonstratis supra disputatione undecima, questione quinta: & disputatione decima quarta, questione quarta ex sapèque dictis in præcedentibus principia sequentia. 1. Omnis syllogismus legitimus ad inferendum necessariò verum ex vero idè talis est, quia in eo antecedens obiectum indiuisim sumptum cum consequente obiectiua necessariò connexum est. 2. Quoties vnus ex præmissis obiectum contingens, aut impossibile est, integrum antecedens obiectiui indiuisim sumptum contingens, aut impossibile est, quidquid sit de obiecto alterius præmissæ. Vnde, ut integrum antecedens obiectiui sit aut necessarium, aut possibile amborum præmissarum obiecta sumpta seorsim aut necessaria, aut possibilia debent esse. Ratio est clara: quia, ut totum quoduis contingens, aut impossibile sit, sit est, quòd vna pars eius contingens, aut impossibilis sit; cum tamè, ut sit necessarium, aut possibile, omnes partes eius debeant esse necessaria, aut possibiles. Quòd si altera ex præmissis sit de Contingentia, & altera de Impossibilitate, hæc præuallet, & antecedens indiuisim est impossibile, ut constat. 3. Quod est possibile, aut est necessarium, aut contingens; & quod est necessarium, aut contingens, eo ipso est possibile. 4. Contradictorium necessarij est impossibile; & contradictorium contingens est contingens & contradictoriū possibile.